



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,
& Decretorum ad Officium ...**

Urban <VIII., Papst>

[Romae], 1645

Feria v. Die xiv. Aprilis M.DC.XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10826

DECRETVM.

Vt omnes Regularium Superiores suos subditos, & Religiosos per sæpè commoneant de iniuncta omnibus obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum, ac Decretorum ad Officium Sanctiss. Inquisitionis aduersus hæreticam prauitatem pertinentium.

Feria v. Die xiv. Aprilis
M. DC. XXXIII.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. VRBANO Diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster sedulo incumbens, vt ea, quæ salubriter Apostolicis Decretis, & Constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim quæ

6
ad Sanctum Officium Inquisitionis cō-
tra hæreticam prauitatem pertinent,
inuiolabiliter obseruentur, & omnimo-
dam sortiantur executionem, districtè
mandat, & præcipit, Vt omnes Superio-
res cuiusuis Ordinis, Congregationis,
Societatis, etiam de necessitate expri-
mendæ Regularis, aut cuiusuis alterius
Instituti, etiam quantumuis exempti, &
priuilegiati, teneantur sub pœna priua-
tionis officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ
ipso facto incurrenda, alijsque arbitrio
Sanctitatis Suæ infligendis, in perpetuū
semel saltem in anno, idest, feria sexta,
post Octauam Assumptionis B. MARIE
Virginis in publica mensa, vel in Capi-
tulo ad hoc specialitè conuocato, Et
in super in quocūque Generali, ac Pro-
uinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, vel
alio quouis nomine nuncupato Capitu-
lari Congressu, suos subditos, ac Reli-
giosos, commonere de iniuncta omni-
bus obseruantia, & executione earum-
dem Apostolicarum Constitutionum, &
Decretorum, ad Sanctum Officium In-
quisitionis aduersus hæreticam prauita-
tem pertinentium, ac præsertim.

Julij III. Constit. 11. incipit *Licet à
diuersis*. Contra impediētes Inquisito-
res hæreticæ prauitatis in eorum Offi-
cio, aut in causis Inquisitionis se inge-
ren-

rentes, eorumque complices, & fautores: Et contra ipsos Inquisitores admittentes laycos ad criminis hæresis cognitionem. Et Pij V. Constit. 82. incip. *Si de protegendis*. contra occidentes, verberantes, deijcientes, aut perterrefacientes quemuis ex Ministris Sanctissimi Officij Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua Diæcesi, vel Provincia, obeuntium, seu Accusatorem, Denunciatorem, aut Testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum: nec non contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incendentes, expilantes, aliòve exportantes alicuius prædictorum bona, libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolia, exempla, scripturas, alia uè instrumenta, siue publica, siue priuata, ubicumque posita, eorumq. complices, & fautores: & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes Vinculum, prohibentes capiendum, captum uè eripientes, recipientes, occultentes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri iubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non secuto: nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes: & contra Intercedentes pro præ-



fatis delinquentibus: Inflictis contra quemlibet prædictorū pænis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ Maiestatis, eorumque filijs, irrogantur: & oblata reuelantibus impunitate.

Pij IV. Constit. 31. incip. *Cum sicut nuper*. Contra Sacerdotes, qui Pœnitentes Mulieres in actu Sacramentalis Cōfessionis ad inhonestos actus prouocare, & allicere tentant, & sollicitant. Et Greg. XV. Constitut. 34. incip. *Vniuersi Dominici Gregis*, ampliatiuæ circa huius criminis probationes, & extensiuæ contra Confessarios, qui personas (quæcunque illæ sint) ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel pretextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in Confessionario, aut alio in loco ad audiendam Confessionem electo, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint. Et contra Cōfessarios non monentes eos, quos sciunt ab alijs Confessarijs sollicitatos esse, vt Inquisitoribus, vel Ordinarijs, sollicitantes denunciant, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

Gregorij XIII. Constit. 21. incip. *Offi-*

ej. nostri partes. De Iurisdictione Inqui-
 sitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui
 ad ordinem Presbyteratus non promo-
 ti Missas celebrant, & sacramentaliter
 confessiones audiunt. Clementis VIII.
 Constit. 81. incip. *Et si alias*. declarato-
 riæ pœnæ contra eos infligendæ per Iu-
 dices laycos, præuia eorum degradatio-
 ne. Et Sanctitatis Suæ Constitut. 79. in-
 cipien. *Apostolatus officium*: extensiuæ
 ad minores 25. annis, dummodo vigesi-
 mum ætatis annum compleuerint.

Sixti V. Const. 17. incip. *Cæli, & Ter-
 ræ Creator*. Contra exercentes artem
 Astrologiæ Iudiciariæ, & alia quæcûque
 Diuinationum genera, librosvè harum
 artium legentes, vel tenentes. Et Sancti-
 tatis Suæ Constit. 113. incip. *Inscrutabi-
 lia Iudiciorum Dei*. extensiuæ ad alia, &
 cum grauioribus pœnis.

Clementis VIII. Const. 42. incip. *Cum
 sicut*. Contra Italos, ne extra Italiam,
 proficiscantur ad loca, in quibus liber,
 & publicus cultus, siue vsus Catholicæ
 Religionis non existat, minusque eis in
 locis habitent. Et Greg. XV. Constit. 28.
 incip. *Romani Pontificis*. contra hæreti-
 cos, ne in locis Italiæ, & Insularû adia-
 centium quouis prætextu commoren-
 tur, & contra eorum fautores, & rece-
 ptatores.

Pauli

Pauli V. Constit. 26. incip. *Romanus Pontifex*. Reuocatoria facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum, quoquo modo concessarum, cognoscendi Causas suorum subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Eiusdem Constit. 97. incip. *Regis pacifici*. Innouatoria Constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ MARIÆ Virginis editarum: Impositionis maiorum pœnarum in trãsgressores, à locorum Ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregorio XV. Constit. 19. incip. *Sanctissimus Dominus Noster auditis*. ampliatiuæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi Beatam MARIAM Virginem conceptam, esse in peccato originali.

Gregor. XV. Const. 27. incip. *Romanus Pontifex in specula*. reuocatoria quarumcumque Concessionum viuæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis Suæ Constitut. extensiuæ ad quoscumque quantumuis priuilegiatos, & exemptos. incip. *Alias fel. rec. Greg. Papa XV. sub Dat. Romæ 20. Decembris 1631.*

Eiusdem Constit. 40. incip. *Apostolatus officium*. Et Sanctitatis Suæ Constit. 114. incip. eo modo. reuocatoria licentiarum quarumcumque legendi, & habendi li-
bros

bro prohibitos.

Sanctitatis Suae Constit. 37. incip. *Sanctissimus Dominus Noster sollicitè animaduertens*. De imaginibus non dum à Sede Apostolica Canonizatorū, vel Beatorum cum Radijs, Splendoribus, aut Laureolis non proponendis: Tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis: eorumvè gestis, miraculis, reuelationibus, Beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis suae Constit. 50. incip. *Sanctissimus Dominus Noster pro debito sui Pastoralis officij*. De libris vbi- cumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his qui degunt in Statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, vt imprimantur, sine Vicarij, & Magistri Sacri Palatij in Vrbe, vel extra eam sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis deputatorum, licentia.

Et eiusdem Sanctitatis Suae Const. sub Dat. Romae die 5. Nouemb. 1631. incip. *Cum si cut accepimus*. Quod Constitutiones Apostolicæ in cõcernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hætenus editæ, & in posterum etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi in
 edenda

edendis illi specialiter excipiantur.

Et insuper ijdem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conferuentur ita, vt ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant: Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiozem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas Sua.

Io: Antonius Thomasius S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Anno Millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Indiçtione prima, Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Urbani Diuina prouidentia Papæ Octauij, die verò septima Mensis Iunij supradiçtæ Litteræ, siue Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valuas Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Alexandrum Latinum Prælibati Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

Sequuntur